

## E S. CONGREGATIONE RITUUM.

### I.

### DECRETUM

#### QUO EDITIO VATICANA LIBRORUM CANTUS GREGORIANI TYPICA DECLARATUR.

Post Apostolicas litteras SS. D. N. pii divina Providentia PP. X *Motu Proprio* datas die xxv Aprilis MCMIV quibus decernitur nova committenda typis Vaticanis editio librorum, cantum gregorianum S. R. Ecclesiae proprium continentium, prout ab ipsomet Pontifice restitutus fuit, Commissio Pontifícia, mandata et desideria eiusdem Pontificis adimplens, ipsam editionem summo studio ac diligentia paravit, atque perfecit.

Haec vero S. Rituum Congregatio, hanc ipsam editionem uti typicam ab omnibus habendam esse declarat atque decernit; ita ut in posterum melodiae gregoriana, in futuris huiusmodi librorum editionibus contentae, praedictae typicae editioni, nihil prorsus addito, dempto vel mutato, adamussim sint conformandae, etiamsi agatur de excerptis ex libris iisdem.

Nulli tamen fas erit librorum cantus gregoriani sic restituti in totum vel ex parte editionem suscipere aut evulgare, nisi prius a S. Sede facultatem obtinuerit, normis servatis et instructionibus, quae in Decreto S. R. C. diei xi Augusti MCMV continentur.

Denique haec eadem S. Rituum Congregatio de mandato SS.mi declarat vivissimum esse eiusdem Sanctitatis Suae desiderium, quod ubique locorum Ordinarii curent, ut quilibet libri hucusque editi cantum liturgicum referentes, etiamsi quocumque pontificio privilegio muniti, aut quavis adprobatione commendati, sensim sine sensu, quamprimum tamen, ab ecclesiis, etiam Regularium, romanum ritum sectantibus amoveantur, ita ut libri liturgici gregorianos concentus continentii tantummodo adhibeantur, qui, iuxta normas supradictas compositi, huic typicae editioni plane fuerint conformes.

Contrariis non obstantibus quibuscumque

Die 14 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, Pro-Praefectus.

L. + S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., Secretarius.

**T**HIS NEW COLLECTION, with its marvelous CHORAL SUPPLEMENT and 3-volume (spiral bound) ORGAN ACCOMPANIMENT, has been described as "the peerless and indispensable resource for any parish musician serious about authentic Catholic music." • <https://ccwatershed.org/hymn/>